



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Amor Deiparæ Virginis Mariæ; Petri Antonii Spinelli
Neapol. Societ. Iesv**

**Spinelli, Pietro Antonio
Coloniæ Agrippinæ, 1620**

S. Albertus Carmelita, num. 13.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60948](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60948)

Et mansuetudine eius vestigia imitari. hæc
Bonaventura.

Idem in 3. distin. 3. art. 1. quæst. 1. ad. 4.
Virgo, inquit, auxiliatrix & amatrix est
omnium fidelium suorum laudatorum; sicut
illi qui tales sunt, experimento multiplici
cognouerunt.

S. Bona-
uentura
ad saluta-
tionem
Angeli-
cam ve-
speri hor-
tabatur.

Idem tom. 2. opusc. in Litanijis B. Vir-
ginis sic eam inuocat: Virgo, qua tuos ser-
uos exaltas, Virgo super omnes excellentius
magnificanda; Virgo, quam omnia laudant
& venerantur.

Surius.

Idem pijsimus Dei Genitricis cultor
instituit, vt sui Ordinis fratres populum
hortarentur ad eandem salutandum, sig-
no campanæ audito, quod post Com-
pletorium datur, quod creditum sit eam
illa hora ab Angelo salutatam, quod in
S. Bonaventuræ vita apud Surium tom. 3.
4. habetur.

XIII.

S. ALBERTVS CARMELITA.

SANCTVS Albertus Carmelitani Ordi-
nis decus, Deiparæ ope in lucem e-
ditus, eandem præcipuo coluit studio. Is
enim in Sicilia parentibus natus est, qui
annos circiter vigintifex in coniugio
sterilitate laborauerant, ac votum Dei-
paræ

paræ nuncuparant; prolem, quam suscepissent masculinam, eidem Ordini se consecraturus.

Ordinem verò illum Deiparæ Virgini peculiariter consecratum puer ingressus, precibus, ieiunijs, alijsq; pietatis operibus impensè addictus ad magnam peruenit sanctitatem.

In miraculis, quæ edebat ad Christi nomen, sanctissimæ Virg. merita piè inuocare solebat: morti deinde proximus cum ea dulciter colloquebatur, & bis salutatione Angelica cum alijs precibus recitata, sublatis in cœlum oculis, animã Deo, ac eius Genitrici commendans, eorumq; opem implorans in illis verbis: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*, obdormiuit in Domino 7. idus Augusti anno Domini 1292. hæc ex vita eius apud Surium mense Augusto.

Luc. 22.

XIV.

B. MARIA DE OEGNIES.

BEATA Maria de Oegnies Niuellæ Episcopatus Leodiensis orta, inter multas, easque præclarissimas, quibus claruit, virtutes Deiparæ studiosissima fuit, quod ex subiectis exemplis planum fiet.

Quor.